





4/4

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including the name 'CATHARINA ELISA BETA VOLFA']

**RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IO. GOTHOFREDVS
BERGERVS**

**CONSILIARIVS AVLAE ATQVE ARCHIATER
REGIVS ORDINIS MEDICI PROFESSOR PRIMAR
HVIVSQUE AC TOTIVS ACADEMIAE
SENIOR**

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including the name 'GERT IMMANUEL BELVAM']

AK



Tulit pietatis fructum CATHARINA ELISA
BETA VOLFIA, cum uiro, cuius desiderium
ferre non poterat, coelestis gaudii societate iun-
gitur, et, sempiterna uoluptate perfusa, omnis
pristinæ sollicitudinis sensum memoriamque deponit.
Videor mihi uidere muliebris specimen uirtutis, quoties-
cunque marmor, literis, priscae fidei plenis, insignitum,
contueor, in quo sic loquens sit Anicia Glycera, ut omne
punctum tulisse sibi uideatur, si marito cognitae uirtu-
tis praestiterit sese dignam. DE VITA, inquit, MEA
SATIS. FVI PROBATA, QVAE VIRO PLACVI
BONO. Fastidit, nec infitior, uiri boni nomen saeculi
uanitas, quod tamen, publice priuatimque, domi foris-
que, spectatum, tantam sustinet dignitatem, ut nihil ip-
sum non habeat summum, sine illo nihil uerae sit prae-
claraeque laudis. Bonitatem cum nominamus, uirtu-
tem dicimus, qua detracta, prudentiam mentitur calli-
ditas, iustitiam simulat iniuria, fortitudinis inuolucro
tegitur temeritas, temperantiae simulacro fallit auaritia,
ipsa religionis species, obtenta uelis, intendit fallaciam,
nihil incorrupti subest atque sinceri, sed fraus dolusque
recti et honesti, aequi bonique, pii denique ac sancti,
integumentis, non unius certe generis, uarieque diffi-
mulatis, inuoluuntur. Hinc ista HOMINIS FIGV
RA, quae GERIT IMMANITATEM BELVAE, ut
nihil intersit, utrum quis asciscat illam, an EX HOMI
NE SE CONFERAT IN BELVAM, si, ratione
potissimum duce, ueteres, et graues, officii magistris
audiamus. Qua quidem uitae peste, tam capitali, tam
Deo hominibusque inuisa, cum diuina permisceantur
humanaque iura, omnis confociatio disturbetur, ipsius
humanitatis extinguitur sensus, tum poetae, philosophi,
historici, omnes, quotquot salubribus uitam praeceptis
ac legibus, suo quisque more, instituerunt, communi quo-
dam consilio confiatoque consensu, sunt nisi, uti, subla-
ta consuetudinis deprauatione, sentiendi agendique ra-
tionem bonis excolerent moribus, eaque re uitam redde-
rent integritatis, grauitatis, sapientiae, plenam. Te-
stis Homerus, cuius poema Bassilio uirtutis est laudatio,
testis Plato, cui, bonitatis studio, Deo similes fiunt ho-

174
mines, testis Cicero, quo monitore, nulla res tanti esse debet, ut VIRI BONI ET SPLENDOREM, ET NOMEN, AMITTAS, quo rursus iudice, PERNICIES EST, QVOD ALIOS BONOS, ALIOS SAPIENTES, EXISTIMANT, testis, cum Polybio, Dionysio Halicarnassio, Plutarcho, T. Livius, qui, cum Rempublicam suam, BONIS EXEMPLIS DITIOREM ceteris, tradere posteris instituit, quid imitandum sit, ostendit. Cum ueteres oratorem sibi uelint uirum bonum, Fabius nihil praecepisse sibi uidetur, nisi BONAM VOLVNTATEM commendat in extremo, nihilo secius, ac Plato in eadem re maximum dicendi robur, in Phaedro, ponit. Transeo Satyricum, qui, ceteris non leuiter irrisis, unam fere BONAM MENTEM reueretur, praetereo Porticum, in qua NEMO MAGNVS, NISI BONVS, ad hortos Epicuri ne respicio quidem, qui tamen ipse, Senecis Gassendisque si credimus, dum sancta praecipit et recta, BONI AVCTORIS famam quaerit, non alias Sapientum disputationes confector, cum res ipsa loquatur, nullam uelle scholam uideri tam malam, quin bonos maxime uiros edere contendat. Ipsi quidem iureconfulti, cum sui praestantiam studii demonstrant, non eleganter magis, quam grauius, ARTEM BONI ET AEQVI profitentur. Cum res, qua uitae societas continetur, appellanda est, FIDES BONA uocitatur, sine qua uir bonus quid sit, iudicari non potest, quacum, submonet Plutarchus, uirum bonum naturaliter magistratu perpetuo fungi. Cum Belli Pacisque Ius a doctis conditur, quem ad modum, boni uiri officio, maiestatem uel tueri debeant potissimum Principes uel ornare, docetur, cum tanta profecto rei ipsius magnitudine, ut pronunciauerit rex omnis memoriae clarissimus, Gustauus Adolphus, quae praeclare disserat H. Grotius, ab heroibus legi facilius et probari, quam fidelibus exprimi consentaneisque factis. Itaque pluris est, cum Phocione BONVM, quam cum Pompeio Magnum, nuncupari, nec male Carolus I, Britanniae Rex, filium, maluit, Carolum Bonum, quam Carolum Magnum, dicitari. Sed ipsa bonitas tanto minus hominum testimonia desiderat, quanto excelsius Deo uindicatur, cum, si alte, si eximia, et summo diuinoque Numini conuenienter, sit dicendum, ipsius ammonitu Veritatis Aeternae, BONVS, NISI DEVS, SIT NEMO. Tanti refert, boni uiri nomen obtineri et locum, ut ea certe gloria, quae, radicibus in probitate defixis, perpetua uirtutis exercitatione propagatur, tam uera solidaque, cunctis, qui saepe deferantur indignis, honoribus antistet, quantoque sit, uel in humili fortuna, magnificentior, tanto pluris reputetur. Quantum igitur erat, uiro bono placuisse, ut Anicia, haud infulse, gloriatur. Omnino satis erat ad commendationem uitae, in uxoriae necessitudinis uinculo tractatae, sic uiuuisse, ut ratio dictorum factorumque graui, et cordato, omnis interioris uitae comiti accurate reddi posset, satis, ad uirtutis exemplum posteris probandum, hoc ipsum probasse uiro, cui, quod malum foret prauumque,

XXX

probaretur nihil. Scimus hoc, usu perspectum, famaue ciuitatis
 utlagatum, de innocentia Volsiae probatissima, quod non inuiti de Gly-
 cera credimus, et scimus ita, ut, quo meliori, quam fuerit Aniciae uir,
 uiro placuit illa, eo uehementius nobis, ac bonis omnibus, probetur.
 Quid uiro, ex ueterum sententia, bono distet bonus, sacris informatus
 literis, intelligi potest, si cum Tullio conferatur Ambrosius, qui, et
 si libris de Officiis usus est, edoctus tamen oraculis, haud paul-
 lo certioribus, ipsius uim bonitatis non in lubrica quadam consti-
 tuit opinione, sed altioris causae seueriori iudicio definiuit. Adde sa-
 cerdotis religionem, quae muneris sanctimoniae respondeat, adde se-
 ueritatem moris, qua familiam regat ille, singularem, adde leuitatis,
 ex animis extirpandae, propositum, quo incitatus, idem nullas ae-
 ui corruptelas perferat, tantum abest, ut, eas habitare apud se,
 secum familiariter uersari, et pernoctare, patiatur. Talis autem
 fuit Augustus Volsius, religiosissimi uir instituti, priscaequae gra-
 uitatis, quem uirtus, multis argumentis explorata, cum, huius ip-
 sus initio saeculi, conciliaffet Catharinae, huic eidem illum sic omni
 caritate postea deuinxit, ut uita non posset esse non iucunda, quae
 cum uxore exempli tam emendati ageretur. Sic enim illa inducebat
 animum, ut caste sanctaeque Numen coleret, fidem, quam dederat,
 uiro seruaret, liberos, quorum decem peperit, septem amisit, omni
 honestatis cultu educaret, omni provideret cura, ne quid detri-
 menti res familiaris caperet, egentes suis iuuaret opibus, quid sibi de-
 esset, attente cogitaret, de aliis bene sentiret, aliorum commodis,
 quantum posset, inseruiret. Quo fiebat, ut et incredibili uirum amo-
 re sibi coniungeret, et optimi cuiusque studium sibi pareret, et
 merito ad gentis suae, haud obscurae, decus referretur. Namque,
 anno proximi saeculi altero et octogesimo, nata Ioanne Eccardo, Se-
 natorii Ordinis uiro, meritis non ignobilibus claro, et Anna Elisabetha,
 prudentissimi animi femina, habuit parentes, quorum non debet eam
 suppedere, eorundem tamen ipsorum, certe integerrimorum, sic
 deinceps expectationem sustinuit, ut pater, quoad uiueret, filia,
 tam proba, mirifice delectaretur, et, hoc extincto, mater eiusdem
 filiae, sibi carissimae, aspectu alloquioque languescentem recrearet
 senectutem, ac solitudinis taedia leniret. Sed optatis intercessit, quod
 dolemus, fatum, quo tamen feminae, IIII Calendas Martias mor-
 bo confectae, laus haudquaquam uel obruitur ita uel deletur,
 quin uigeat apud nos, et, ipsa uirtutis commemoratione, renouetur.
 Tanto minus cohortandi estis, CIVES, ubi postulat aequitatis ratio,
 uti detis aliquid Volsianis, Eccardianisque, meritis, et funus, hodie,
 ab Hora I pomeridiana, ex aedibus Eccardianis efferendum, in
 Templum Marianum, pio celebrique ritu, deducatis. P.P.V Nonas
 Martias, anno gratiae diuinitus recuperatae

CLIO IO CCC XX

78 M 396

ULB Halle 3

001 514 261



SB.

V018



4/4

...BETA VOFFIA, cum uno, cuius delictum
...ferre non poterat, coelestis gaudii societate in-
...grat, et, suspiciter non horreat periculis, omnis
...Videri vult ridere mille his spectantibus, quosiel-
...cuique mannos, licetis, plicare, sed plicis, iniquum,
...contemtor, in quo sic foris de Auctores, in omne
...quodcum tulle, fidi, in quo, in quo, in quo, in quo,
...sua, in quo, in quo, in quo, in quo, in quo, in quo,

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERG
IO. GOTHOFRE
BERGERVS
CONSILIARIVS AVLAE ATQVE AR
REGIVS ORDINIS MEDICI PROFESSOR
HVIVSQUE AC TOTIVS ACADEM
SENIOR
CIVIBVS ACADEM

S P D

